CHRISTOPH. FRIDER. AYRMANNI, ... COMMENTATIO DE ARCHICANCELLARIORUM S.R. IMPERII...

Christoph Friedrich Ayrmann, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

QVoniam A. O. O. H. laudabilis huius Academiæ conſuetudo poſtulat, ut hodie Leges academicæ prælegantur, mihique hac occaſione prodeundum fuit in publicum, & pro more aliquid præfandum, ipſæ vero leges per ſe honeſtæ & utiles ſunt, ut ſuperflua prorſus commendatio aliena videatur, date mihi quæſo hanc veniam, ut hac omiſſa, ſolennem hunc Actum ſtatim ab oratiuncula, argumentum aliquod hiſtoricum complexa, auſpicari liceat. Equidem cum quotidie tale quid intra priuatos parietes meditari ſoleam, accuratius nuper inueſtigare cœpi *Archicancellariorum S. Romani Imperii origines*, variaque inueni ab aliis neglecta, aut, ut ſæpe ſolet fieri, non recte tradita, unde enata mihi præter opinionem eſt materia iuſti Commentarii, ſuo tempore in publicam lucem proferendi, cuius ſummam in praeſenti breuiter deli-

neabo, eoque minus dubito, quin beneuolas mihi dicturo aures ſitis præbituri.

Noſtis autem, tres hodie ſummos Imperii Archiepiſcopos & Electores, Moguntinum, Treuirenſem & Colonienſem, fungi arduo & eminenti Archicancellariatus munere, eorum Eccleſiis & Archiepiſcopatibus in perpetuum annexo, ita ut primus Archicancellarius audiat S. R. Imperii per Germaniam, alter per Galliam, Lotharingicam ſcilicet, & Regnum Arelatenſe, regna olim cum Germanico coniuncta, tertius per Italiam, ſiue Regnum Longobardicum, itidem Germanico ſubditum. Sed illud non quilibet ſatis intelligit, qui factum ſit, ut ſummus aliquis Cancellarius ad tantum dignitatis culmen eueheretur, primoque inter Regni & Imperii ordines loco cenſeretur. Deinde & illud mirum pleriſque videbitur, quod munus Archicancellarii, pro ciuili merito habendum, non ſecularibus potius principibus quam eccleſiaſticis commiſſum fuerit. Pendent ſcilicet iſta ab antiqua conſuetudine, cuius genuinas origines ſi perſpectas habuerimus, veras etiam eiusdem rationes non difficulter deprehendemus. Vbi quidem pro regula ponendum initio erit, Germanos in hoc inſtituto imitatos eſſe Francos, hos autem multa a Romanis in Gallia præſertim didiciſſe. Nomina ſane Cancellariorum & Cancellariæ, Teutonica ciuitate donata, Romanam adhuc teſtantur originem.

Paucis igitur initio docendum erit, quid in hoc genere apud Romanos obtinuerit. Quoniam vero non

Digitized by Google

non poſtrema eſt litterarum ac ſcripturæ utilitas, ut earum beneficio præcipua inter homines acta ſcripto comprehendi, & ab obliuione atque interitu vindicari poſſent, ideo Romani, quo impenſius culturæ litterarum vacarunt, hoc ſollicitius de conſeruanda actorum memoria laborarunt. Ad quam quidem rem non ſolum ſcriptoribus & ſcripturis fide dignis opus fuit, ſed & cuſtodia diligens actis in litteras redactis adhiberi debuit. Ac Imperatores inprimis Romæ veteris & nouæ hanc ob cauſam plures conſtituerunt, & publica auctoritate muniuerunt, varii generis adminiſtros, quorum alii in palatio vel aula ipſis inſeruirent, alii magiſtratibus ac iudicibus paſſim ab eis conſtitutis adiungerentur. Horum porro, qui ad communem ſcribarum ordinem pertinebant, alii vocabantur notarii, a notis, quorum ope olim dictata excipere ſolebant, alii tabelliones, actuarii, chartarii, reliqua. Coniuncti tamen cum hiſce arctius quoque fuerunt quæſtores, & referendarii ſeu apocriſiarii, ſic dicti, quod reſponſa principis, quo nomine quæuis decreta & mandata eius deſignabantur, referrent, ac præcipuæ inprimis dignitatis Quæſtor ſacri palatii, quem hodie ſummum vocamus Cancellarium, & qualis poſterioribus temporibus in Byzantino Imperio fuit magnus Logotheta.

At ſub primis Romanorum Imperatoribus cancellarii adminiſtris huiuſmodi paullo inferioris conditionis accenſendi erant. Eosque a cancellis ita appellatos eſſe dubio vacat, quod nomen denotabat ſepta reticulata ſeu feneſtrata, de ligno, ferro aut ære facta, quali-

qualibus principum ædes atque cubicula, æque ac iudicialia ſecreta ſeu ſecretaria, occluſa erant. Qui itaque ad hos cancellos miniſtrabant, admiſſionesque curabant, & mandata principum aut iudicum exequebantur, initio cancellarii dicti ſunt, quaſique oſtiarii fuerunt. At cancellis quoque circumſeptus erat locus interior in cubiculo aut tribunali, ne libelli & chartulæ, quibus oppletus erat, a crebris interuentoribus turbarentur aut aufferrentur. Vnde & qui huic poſtea ſpecialiter præfecti fuerunt, cancellarii vocati ſunt, hodiernis ſecretariis non multum abſimiles. Senſim vero Cancellarii huiusmodi, præſertim qui Imperatoribus & Regibus inſeruierunt, dignitate reliquis ſcribis ac notariis prælati ſunt, adeo ut præcipui eorum iam tum inter primarios eorum adminiſtros referrentur, prouti ex Caſſiodoro ſeculi VI. ſcriptore conſtat. Mere ciuilia interea cuncta hæc munera apud Romanos fuiſſe, vel tirones Iuris & Antiquitatum norunt.

Germani autem veteres adhuc ſub initium ſeculi poſt C. N. ſecundi, Tacito teſte, ignorarunt prorſus litterarum ſecreta, id eſt uſum ſcripturæ reconditum nec vulgarem, qualem inſtituto cancellariæ & archiui primam dediſſe originem paulo ante volebam innuere. Franci igitur ex vetuſtiſſimis Germanis oriundi, poſtquam ſeculo V. celebre in Gallia, cultiſſima Romani Imperii prouincia, regnum exorſi ſunt, ſenſim per Germaniam quoque prolatum, ut linguam, ita & mores & inſtituta Romanorum, quin eſt Chriſtianiſmum, quæ cuncta ibi inuenerant, amplexi ſunt. Vnde & aula Francorum

corum Regum Romano more dicta eſt Sacrum Palatium, eiusque praecipui item adminiſtri fuerunt Referendarii ſeu Apocriſiarii, quibus adiuncti Notarii & Cancellarii, quorum praecipuus uſus fuit in chartis & diplomatis Regum dictandis, ſcribendis, recognoſcendis, & ſubſcriptione ac ſigno certo addito, unde fides ſcriptis publice conciliaretur, corroborandis, denique & cuſtodiendis & in archiuo aſſeruandis. Ac ciuilia quoque fuiſſe hæc munera ſub primis Regibus Merouingis, per ſe manifeſtum eſt, ante quam abrogata gentium ſuperſtitione Clodoueus magnus (ſub finem ſeculi V.) cum gente ſua uniuerſa ad ſacra Chriſtianorum tranſiuiſſet. Quo facto ſtatim in his ſimilibusque ingens accidit mutatio, cum Reges clero adeo deuoti eſſent, ut praecipua quoque aulæ officia ipſi procuranda committerent.

Primo igitur certi inprimis clerici doctrina & fide inſignes ſpecialiter hanc ob cauſam euocati in aulam fuere, ut ſacra ibidem in capella palatina peragerent, unde capellani dicti ſunt, nomine mox cum uniuerſo clero aulico communicando. Capellæ enim tum vocari conſueuere ædes ſacræ, ſeu ſacella & oratoria, a Regibus in palatiis paſſim condita, & iſtorum curæ demandata. Quorum præcipuus, totique clero palatino præfectus, Capellanus κατ᾽ ἐξοχὴν, ſiue ſummus Capellanus aut Archicapellanus vocatus, proximusque Regi dignitate & honore ſemper exiſtimatus eſt. Cum vero clerus, præter rerum ſacrarum curam, propriam quaſi eo tempore, cum lingua Latina & calligraphia, litterarum & artium culturam ſibi vindicaret, laicis ut plu-

rimum

rimum militaribus ac ciuilibus ſtudiis occupatis, & aliquando vix ſatis ſcribere edoctis, mox proprio iſti ac præcipuo Capellanorum officio additum & alienum, ut iidem ſcribas, notarios, cancellarios & referendarios, ſeu apocriſiarios regios agerent. Ipſa quoque deinceps capella palatina locum Cancellariæ & Archiuo ordinarium præbente. Atque ſic deinceps per longi temporis conſuetudinem effectum eſt, ut iſta officia vere ciuilia ſoli ſibi aſſererent clerici, ipſaque fauore & indulgentia Regum Francorum & Germanorum veterum pro quaſi eccleſiaſticis deinceps haberentur.

Hinc quoque maxima prius in aula, & proxima regiæ dignitas ſummi Referendarii ſeu Apocriſiarii, poſtea plerumque Archicapellano ſimul demandata fuit, qui alioquin nunc etiam ordinarius & ſupremus in aula iudex cauſarum eccleſiaſticarum factus eſt, qualem deinde in cauſis ſecularibus tantum Comes Palatii ſummus (nam plures ut Cancellarios & Referendarios, ita & Comites Palatii ſeu palatinos olim fuiſſe conſtat) egit. Proprium vero ſummi Referendarii fuit annulum regis cuſtodire, iuſſa eius exequi, & diplomata inprimis regia dictare, Regique ſubſcribenda, ſignoque & annulo eius corroboranda offerre, ipſaque poſtremo ſubſcriptione & ſigno ſuo confirmare, quod tamen aliquando vice eius ab aliis factum eſt, adeo ut is idem fere tum fuerit, qualis poſtea Archicancellarius dictus eſt.

Nam ſub regibus Merouingis ſubordinatus Archicapellano æque ac ſummo Referendario, adeoque diſtinctus

ſtinctus ab utroque fuit Archicancellarius, reliquis omnibus Notariis & Cancellariis palatinis præfectus, qualem hodie Directorem Cancellariæ vocamus, cuius officium fuit ſcripta ab aliis diplomata recognoſcere & ſubſcribere, niſi hoc a ſummo Referendario, aut alterutrius vice a ſubſtituto Referendario, Cancellario aut Notario ordinario, factum eſſet. Cancellarii vero tum omnes ad Cancellariam regiam deputati Notarii dicti ſunt, quos hodie Cancelliſtas & Secretarios appellamus, eorumque fuit publica documenta ſcribere & cuſtodire, cum alioqui latiſſime patens Notariorum nomen & reliquos omnis generis ſcribas complecteretur. Ita vero omnes Cancellarii erant Notarii, unde & Archicancellarius aliquando Archinotarius ſeu Protonotarius, aut abſolute Notarius dictus eſt. Hi omnes autem æque ac Referendarii ordinarie nunc erant clerici & capellani, quæ vocabula propterea ſucceſſu temporis in vulgari ſermone pro ſynonymis ſcribæ ſeu ſcriptoris cuiusuis habita ſunt.

Quæ omnia auctoritate Hincmari, aliorumque fide dignorum auctorum, & monumentorum ac diplomatum veterum, demonſtrari liquido poſſunt, dummodo recte intelligantur, quod aliqui non omnibus datum ſcio. Videtis igitur in aula vetuſtiſſimorum Francorum Regum Merouingorum Archicapellanum clero aulico, adeoque & cunctis Cancellariis, qui capellani fuere, præfectum, tum quoque ſupremum cleri per totum regnum iudicem, fereque & Referendarii ſummi munere functum, & ſecundum a Rege, ut tamen

B eo

eo tempore collatio huius æque ac ſimilium munerum ab arbitrio Regum penderet, & non niſi meritiſſimis viris, Abbatibus præſertim, cederet, dum Epiſcopi ab eccleſiis ſuis commode diuelli haud poterant. Quanquam ſæpiſſime Capellani ex aula ad ſummos in Eccleſia honores promoti fuerint. Archicancellarius vero hodierno vocabuli ſenſu tum nondum extitit, aut non alius quam Referendarius ſummus fuit, qui & aliquando ſupremam Cancellariæ aulicæ directionem exercuiſſe videtur.

Hæc vetera Francorum inſtituta a Carolo magno, qui totam ſubegit Germaniam, regnumque Italiæ ſeu Longobardicum, cum Imperio Romano, Francico adiunxit regno, filioque eius Ludouico Pio, qui ditiones has ſeruauit & auxit, longius prolata ſunt. Cuius tres filii regna auita ita diſiunxerunt, vt Gallia æque ac Germania peculiares reges acciperet, in medio autem inter vtramque nouum Lotharingiæ, & poſtea Burgundiæ ſeu Arelatenſe regnum enaſceretur, aliquando & cum Germanico coniungendum. Ac initio unus in aula Archicapellanus fuit, vnaque Cancellaria, poſtea autem in diuerſis regnis & aulis plures exorti ſunt Archicapellani. Eximium habemus locum Walafridi, ſcriptoris Ludouico Pio coætanei, de Archicapellanis & Capellanis ita ſtatuentis: Quemadmodum ſunt in Palatiis praetores & Comites palatii, qui ſeculares cauſas ventilant, ita ſunt & illi, quos ſummos Capellanos Franci appellant, clericorum cauſis prælati. Capellani autem minores ita ſunt, ſicut hi, quos Vaſſos dominicos conſuetudine

ne Gallica nominamus. Vbi auctor iſte Germanus ſimul expreſſe declarare voluit, quod inſtitutum iſtud a Francis ex Gallia in Germaniam illatum fuerit.

Hinc vero aliquando Capellanus ſummus vocatur S. Palatii Archipreſbyter, Antiſtes, Abbas, Archiepiſcopus, Archipalatinus præſul, ſacræ palatinæ dignitatis præſul, palatii primicerius, moderator, cuſtos, capellæ primicerius, miniſter, capellanorum primas, clericorum ſummus, & ſic porro. Idem vero Archicapellanus nunc ordinarie fuit ſimul ſummus Referendarius, ſeu Apocriſiarius, quod nomen aliquando ipſi ſcriptores adhuc tribuunt. Cancellariorum & notariorum quoque eadem quæ prius fuit conditio ſub præfecto ipſis Archicancellario, ita ut plures quoque eſſent in diuerſis regnis Archicancellarii, quorum munus cum Archicapellani officio aliquando coniunctum, initio tamen ſæpius ab eo diſtinctum, & peculiaribus perſonis concreditum fuit, pro Regum & Imperatorum arbitrio conſtitutis, tametſi nunc fere Archicapellani, & ſæpe Archicancellarii quoque officium, præcipuis regnorum Epiſcopis & Archiepiſcopis committeretur, poſtquam relaxato veteris Eccleſiæ rigore permiſſum ipſis eſt, ſecularibus negotiis indulgere, aulamque ſequi.

Hinc in Palatio Caroli M. Archicapellani officio functos deprehendimus Angilramnum Metenſem, & Hildibaldum Colonienſem Archiepiſcopum, ſub Ludovico Pio Hilduinum Abbatem S. Dionyſii, &

Drogonem Metenſem præſulem, ſub Lothario I. Guntharium Archiepiſcopum Colonienſem, ut fere diſtincti ab ipſis eſſent Archicancellarii. At ſub Carolo Caluo & reliquis Regibus in Gallia Carolingis ſæpe iidem fuere Archicancellarii, qui Archicapellani, ita ut poſtremi fere omnes fuerint Archiepiſcopi Remenſes. Et ſic in Germania quoque ſub Ludouico ſeniore & iuniore Archicapellanus ſimul fuit Archicancellarius, quo munere ſub poſteriore functus iam dicitur Liutbertus Archiepiſcopus Moguntinus. At frater eius Carolomannus, Boiorum primo, & poſt etiam Italiæ Rex, Archicapellanum æque ac Archicancellarium conſtituit primarium Regni ſui præſulem, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quem morem ſecutus filius Arnolphus, totius licet Rex Germaniæ, cum filio Ludouico infante, Carolingorum in hoc regno ultimo, nec ſucceſſore eius Conrado I. rem mutante. Quo tempore etiam ex inferiori Notariorum & Cancellariorum (quæ nomina adhuc promiſcue ſunt adhibita) ordine conſtituti ſunt Cancellarii pauci honoratiores & ordinarii, qui vice Archicapellanorum aut Archicancellariorum diplomata recognoſcerent & ſignarent, dum unus & perpetuus Vicecancellarius adhuc ignotus fuit. Nec morari nos debet, quod in ſubſcriptionibus genuinorum diplomatum aut titulum Archicapellani & Archicancellarii plane omiſſum, aut modo unum vel alterum expreſſum legimus, ſi quidem in hiſce veteres non admodum ſcrupuloſos fuiſſe conſtat.

Sub

Digitized by Google

Sub Regibus autem deinde Saxonicis, qui regnum Italicum & Imperium Romanum nexu perpetuo cum regno Germanico coniunxerunt, eidemque & regnum Lotharingiæ aſſeruerunt, pro lege propemodum & regula fuit habitum, ut præcipuus Aulæ ſeu Palatii Archicapellanus, pridem & ſummi Referendarii munere auctus, ſemper quoque eſſet uniuerſalis ac primarius regni & imperii uniuerſi Archicancellarius, eximiaque hac & regiæ proxima dignitate in poſterum fruerentur Archiepiſcopi Moguntini, pro primatibus Regni & Imperii Romano-Germanici nunc ſine controuerſia agniti. Hinc in ſubſcriptionibus diplomatum, quorum recognitio ipſis qua Archicancellariis proprie competebat, a potiori plerumque Archicapellani, rarius Archicancellarii denominantur. Diſtinctiſſima enim nihilominus ſemper manſere hæc officia, licet ut fieri ſolet in una ſæpiſſime perſona coniuncta. Quod adeo exploratum habeo, ut eradicandus ſit in poſterum ex Iuris publici doctrina error eorum, qui re non ſatis perſpecta tradiderunt, idem prorſus tum ſignificaſſe Archicapellani & Archicancellarii vocabula.

Quemadmodum & illud tuto affirmari poterit, ab initio ſtatim Henrici Aucupis Archiepiſcopos Moguntinos, ceu Germaniæ, in qua primaria nunc aulæ ſedes fuit, primates, ſummam iſtam in eadem aula dignitatem eccleſiaſtico-ciuilem, ut ſic dicam, non ſolum ſibi vindicaſſe, ſed & tenuiſſe, tametſi Reges & Imperatores non ſtatim omne ſibi in hoc arbitrium eripi paſſi ſint, ideoque diu vicarios ſaltem Cancellarios & Notarios

Digitized by Google

rios (quæ nomina adhuc uſus promiſcui fuere) pro lubitu conſtituerint, quin & initio aliquando Moguntinis alios ſubſtituerint, ſi quando offenſam ſummi Principis incucurriſſent. Iidemque inprimis pro lubitu conſtituerunt Archicancellarios, nonnunquam & honore Archicapellani auctos, fere tamen eo carentes, per regna Italiæ & Lotharingiæ, admiſſis quoque iam tum non raro ad hæc officia Archiepiſcopis Colonienſi & Treuirenſi. Sed hi Archicancellarii aut Archicapellani fuerunt particulares, & ad regna ſua adſtricti, Moguntini autem fuerunt uniuerſales, qualis & aula cui inſeruierunt fuit, quippe ad quam ultimato uniuerſa ſingulorum regnorum negotia recurrere, ab eaque expeditionem expectare debuerunt, prouti ex praxi & continua exemplorum inductione demonſtrari poteſt.

At ſub Regibus & Imperatoribus Franconicis, inprimiſque infelici iſto Henrico eius nominis IV. plane abolitum fuit vetuſtiſſimum illud Archicapellani palatini, ceu ſupremi cauſarum eccleſiaſticarum iudicis, clerique aulici præſidis, quod proprium eius munus fuiſſe docui, inſtitutum, id quod ab alio ante me obſeruatum eſſe haud memini. Res tamen vel a tironibus in Hiſtoria Imperii facile poteſt percipi. Erat enim hoc tempus illud, quo Pontifex Romanus ſoli ſibi ſummam in clerum Regni & Imperii Romano-Germanici poteſtatem arrogabat, Regeſque & Imperatores ea in perpetuum priuatum ibat. Clerici Pontifici fere deuoti non difficulter concedebant, & ſeculares quoque Principes, ad ſumma contendentes, hac ratione immi-

nutam

nutam eſſe Regum poteſtatem gaudebant. Vt igitur ſummus Palatii Comes deſiit, ita etiam Archicapellanus ſubito euanuit, eiusque nomen exinde in publicis monumentis amplius haud reperitur.

Mittebat interea Romanus Pontifex in Germaniam Legatos ſuos, ſummos futuros cauſarum eccleſiaſticarum iudices, ſtatimque anniſi ſunt Moguntini Archiepiſcopi, ut ipſi Legati ſedis Apoſtolicæ conſtituerentur, quo in effectu idem ius conſecuti ſunt, quod ipſis ceu Archicapellanis competiit. Manebat tamen nihilominus inuiolatum in aula officium Archicancellarii, pridem cum dignitate & munere ſummi Referendarii combinatum, & pro quaſi eccleſiaſtico ex obſeruantia antiqua agnitum, quod ut porro in manibus cleri verſaretur, ipſius Pontificis vel maxime intererat. Ne itaque unquam munus hoc reuera ciuile in manus ſecularium incideret, Archiepiſcopi Moguntini non ſolum libenter in poſſeſſione eius permanſerunt, ſed & inde a ſeculo XII. ab Imperatoribus impetrarunt, ut Archicancellariatum cum inſigni illa prærogatiua, quod eo nomine primum inter Principes Imperii locum tenere debeant, olim a Primatu & Archicapellanatu proprie pendente, ipſis per expreſſas litteras ſubinde renouatas confirmarent. A quo tempore etiam in publicis documentis titulo Archicancellarii S. Imperii per Germaniam conſtanter uſi ſunt.

Ergo hodienum Archiepiſcopi Moguntini, qua Primates Germaniæ, ex veteri conſuetudine, ſcriptisque legibus,

legibus, ſunt Archicancellarii uniuerſales Imperii Romano-Germanici, poteſtate veterum Referendariorum aucti, & prærogatiuis Archicapellanorum decorati. Quale quid de reliquis quoque particularibus per regna Italiæ, Lotharingiæ, quæ olim ad Galliam pertinuit, & Burgundiæ, quod poſtea acceſſit, Archicancellariis ſtatuendum erit. Quoniam vero Moguntini præſules rarius deinde in aula regia & imperat. verſati ſunt, ideo conceſſum ipſis eſt ius conſtituendi in eadem aula Cancellarii vicarii, qui Vicecancellarius Imperii hodie vocatur, & fere Epiſcopus etiam eſſe ſolet, quo de ſub Illuſtris Bœhmeri præſidio habita peculiaris Diſſertatio extat. Atque hic Vicecancellarius, ſiue Proarchicancellarius, (ut Perilluſtris Dominus de GVDENVS, Fautor meus ſingularis, vocat Syll. I. p. 502.) idem re-uera nunc eſt, qualis ſub Regibus Merouingis & Carolingis fuit ipſe Archicancellarius.

Tantum hac vice.

BIBLIOTECA ... ROMA